



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Georgius M. 23. Aprilis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

260 VITÆ SANCTORUM. 23. April.  
evexit. Obiit Perusii anno M. CC. LXXXIII.  
Ex Surio.

*Si invenis aliquid melius, quàm videre  
faciem Dei, illuc te præpara: Vatali a-  
mori tuo, si vel suspicaris aliquid pulchrius  
quàm est ille, a quo est omne pulchrum, quod  
teteneat, ne illum cogitare merearis. S. Au-  
gust. in psal. 43.*

S. GEORGIUS M. 23. Aprilis.

**A**Nno post natum Servatorem XC. su-  
pra CC. GEORGIUS fortissimus  
CHRISTI miles & ob virtutem inter  
Tribunos adlectus; tum Comitis etiam  
titulo à Diocletiano ornatus, cum hujus  
nihilominus efferam in Christianos ty-  
rannidem propalam damnasset, in vin-  
cula & ipse tractus, saxum primò in-  
gens pectori injectum supinus fortius,  
quàm cælum Hercules tulit; ad machi-  
nam deinde mucronibus omni ex parte  
armatam, ut antè ad gladios in acie, risit.  
Hinc calce tres dies sepultus, cum illu-  
srior surrexisset, ferreos & ab igne can-  
dentes calceos indutus, nempe ad O-  
lympicam coronam cucurrit. Cæsus ite-  
rum immaniter, ac alapis contusus, in  
ruborem languoremque ipsos carnifices  
dedit, & testem fidei suæ mortuum è  
tumulo produxit. Tandem post tot egre-  
giè pugnatas pugnas coronatum pridie  
in carcere ab ipsomet Imperatore  
CHRIST

24. April. VITÆ SANCTORUM. 261  
CHRISTO, caput iterum coronan-  
dum securi subdidit; cū prius ad ejus  
imperium corruissent omnia Numinum  
simulachra, & cacodæmones se esse, non  
Deos, ultrò edixissent, verissimo om-  
nium, quod unquam dederunt, oraculo.  
Ex Metaphr.

*Deus ipse omnium rector ac Dominus cum  
omni Angelorum militiâ certamen tuum  
expectat, tibi que contra Diabolum dimi-  
canti parat æternitatis coronam. S. Amb.  
in Epist.*

S. BONA VIRGO. 24. April.

**A** Ge virgo animo, hæ tibi leges ferun-  
tur. Lecto pudico cubato. Vestes ci-  
licium esto. Ut latrones domesticos ef-  
fugas, pudorem peregrè ad Divûm  
templa circumferto. Nempe duras, ais,  
& verè æreas leges fixisti. Quid vis di-  
cam? Tumon potes quod isti & istæ? ad-  
do quod virguncula Bona potuit, cui vix  
septenni has leges ipse summus Legisla-  
tor Christus tulit, annuente & probante  
virgine animo. quid? quòd ultrò non  
lecto, sed stramine involvit pudorem,  
si non tam molliter, certè securiùs dor-  
miturum? quòd non semel, sed decies ex  
Italiâ ad S. Jacobi sepulchrum in Gala-  
ciam abiit? quòd tres omnibus septima-  
nis dies non nisi pane & aquâ tradu-  
xit, & reliquis, quibus opiparè vixit,  
R. 3. legu-